

quitur de naturâ intelligente, sed de magnitudinæ intelligendi facultate carente: itaq; non de illâ, sed de hâc infinitam negat virtutem. Ad alterum supra adductum Aristotelis locum plerumq; respondent, Aristotelem non negâsse, plures fieri posse mundos respectu potentia primæ Motoris s. Dei, sed intuitu determinatæ constitutionis, quia scilicet à Deo liberè constitutus tantum est unus mundus, ac sic ajunt nonnulli, Aristotei hęc verbis hoc intendisse: Quoniam Deus liberè unum tantum condidit mundum, ideò stante, quòd velit unum tantum existere mundum, plures fieri non possunt. Ut ita in h. l. nihil potentia Dei infinitæ detrahatur. Ad tertium facilis est responsio; quòd nimirum Aristoteles, quando primum motum esse determinatæ velocitatis ob determinatam virtutem primæ Motoris, asserit, non hoc velit, quod virtus primæ Motoris sit limitata & sic finita, sed quòd ideò primus motus sit determinatæ velocitatis, quia primus Motor primo motui certam & determinatam mobilitatis virtutem indiderit.

Th. IIX. Quòd verò nonnulli existimant, ab Aristotele, Deum quidem infinitæ virtutis constitui, sed tantum ratione durationis, quando eum infinito movere tempore loco supra citato asserit, id ipsorum effugium quoque ruinam patitur, ac quòd Dei virtus æterna etiam independens & infinitæ perfectionis ab Aristotele statuatur & approbetur, prolixius ostendentem vide *B. Zeisoldum tract. de cons. & diss. Aristotelis cum Scripturâ disp. VI. art. V. §. 32. & 33.* Hic addo, quòd multa Aristotelis scripta perisse putentur, in quibus forsan clarius de Deo locutus fuerit. Deniq; ponamus, Aristotelem Dei essentialem infinitatem negâsse, non tamè inde sequitur: E. planè ex lumine naturæ probari ac deduci nequit.

Th. IX. Quapropter pro eâ ex principiis naturalibus probandâ sic argumentari licet:

*Cujus essentia ita caret limitibus & terminis, ut nullo modo finiri aut limitari possit, ille ipse omninò dicendus, & reverà est infinitus. Atqui Dei essentia ita caret finibus aut terminis, ut nullo modo finiri aut circumscribi possit. E. Deus omninò est & reverè dicitur infinitus.*

Majoris consequentia facilè probatur; quia qualis est, aut quomodo se habet alicujus essentia, talis est, aut hoc modo se etiam ha-

ha.